


05

A

1054





In Nomine Jesu!

EXERCITATIO METAPHYSICA

DE

NECESSARIO

ET CONTINGENTE,

Quam,

Sub Præsidio

V I R I

PraClarissimi atq; Excellentissimi

DN.

CHRISTIANI TRENTSCHII,

Logices & Metaphysices

Profess. Publ. Celeberrimi

Dn. Præceptoris, Hospitis, Patroni, & Studiorum

suorum Promotoris, omni honoris genere

ætatem devenerandi,

Publicæ ventilationi

subjicit

Autor-Respondens

MATTHIAS PACHALUS,

Milicio-Silesius.

In Auditorio Majori

Ad diem 20. August. horis antemeridianis.

Witteb. Typis JOH. BORCKARDI, Anno 1662.



V I R O

*Generis Nobilitate Splendidissimo, rerum
Strenuè gestarum Eminentissimo,*

DN. DANIALI à Girschenstein/

**Hæreditario in Brißelwitz & Kraßowann/ Sacræ
Cæsariæ, ut & Hungariæ & Bohemiæ Regiæ Majestatis,
equestris militiæ Præfecto meritissimo,**

**Dn. Avunculo ac Meccoenati suo
æviternum devenerando,**



*Disputationem hanc,
eâ, quâ decet submissione
& reverentiâ*

offert

Autor - Respondens.



Σὺν θεῷ

R Ecce, Magnus ille Hipponensium Episcopus Augustinus, citante B. Chemnit. p. 3. l. de bonis operibus quaest. 6. *Liberis, inquit, verbis utuntur Philosophi: nobis verò in Ecclesia ex praescripto, sive ad certam Regulam loquendum;* Quæ verba antea laudati viri percelebris, non ita simpliciter de Philosophis intelligenda esse, quivis facile intelligit. Quis enim hanc sibi libertatem concessam putet, ut prolubitu terminis Philosophicis uti posset? Nullus sanè, nisi rationis deliquium patiatur. Qualis, quaeso, λογικοποιία in Philosophia & Theologia introduceretur. Cum igitur Theologo & Philosopho, jucundissima, utilissima, & maximè necessaria sit de Necesario & Contingente doctrina; Operæ pretium nos facturos putamus, si naturam horum terminorum paulò diligentius exponamus, quò non tantum Pontificiorum error, bona opera in actu salutis requirentium ostendatur, sed etiam Zvvinglianorum necessitas rebus à Deo præcognitis tollatur. Quod dum facimus, supplici ac devoto corde rogamus, ut Ens absolutissimè necessarium & liberrimum nostram mentem & calamum dirigere velit, quò omnia quæ scribere ac differere conamur, in ipsius gloriam & studiorum nostrorum emolumentum vergant. Sit Bono cum Deo.

Thesis I.

Etymologiam vocis Necesarij quod attinet, tunc illa per ἀντίφρασις putatur derivari à cessando, quod ibi minimè cessetur: vel juxta acutum Scaligeri Judicium l. ii. de causis LL. c. 166. Necesse dicitur, sine quo res nec esse possit.

II. Hinc vox necesse ex prima impositione significat, quod alteri necessarium est; postea aliter in Philosophorum scholâ accepta est, & denotat id, quod in se tale est.

A 2

III. A.

III. Apud Latinos multifariam hoc vocabulum exponitur, oratorum Coripheus ait; Necesse est id, sine quo salvi & liberi esse non possumus. Unde apparet, quod non uno eodemq; sed vario accipiatur modo, quam varietatem vetus ille versiculus nobis exprimit.

Utile, perpetuum, sustentans, & violentum,
Quatuor expresse vox denotat ista necesse.

IV. Hos quatuor de ambiguitate necessarij modos, proponit Arist. l. 4. Met. c. 5. Necessarium, inquit, dicitur (1) id, sine quo non contingit vivere, tanquam concausa, ut respirare & alimentum animali necessarium est. (2) sine quo bonum non contingit, aut esse, aut fieri, sive aliquid mali repellere, aut eo privari; ut bibere potionem medicam homini, ne agrotet. (3) violentum & vis. Sic fur necessario abit ad patibulum. (4) quod non contingit aliter se habere. Priores duae significationes notissimam illam distinctione explicari solent, quam aliquid necessarium dicitur, vel ad esse, ut alimentum animali, vel ad bene esse, ut scientia & virtus.

V. Necessarium aliud est *in essendo*, estq; nihil aliud quam Ens necessarium; aliud *in predicando* quod necessario de alio praedicatur, ut animal respectu hominis; aliud *in afficiendo*, quod nihil aliud est, quam affectio propria; Sic risibilitas in homine, quantitas in corpore. Aliud deniq; *in operando*, ad quod necessarium in Causando pertinet, quod nihil aliud est, quam causa necessaria, quae necessario agit, vel necessitate naturae, quomodo ignis urit; vel necessitate coactionis & violentiae.

VI. Necessarium aliquid dicitur *vel ratione cause*, quae si interna est, Inevitabilitatis & Immutabilitatis necessitas vocatur, ut quantitas in corpore; *vel ratione Ordinationis & Praecepti*, quo modo bona opera necessaria dicuntur cuivis Christiano salvando. *vel ratione Obligationis* sive Promissi, quomodo necessarium est, Turcis summam pecuniae promissam pro redimenda vita solvere; *vel ratione Meriti sive Acquisitionis*, quomodo mors Christi necessaria causa est salutis nostrae; *vel ratione Finis Obtinendi*, idq; necessarium est *vel necessitate Inevitabilitatis*, absq; quo prorsus finis obtineri nequit, ut cibus ad vitam tuendam,
& fi-

& fides ad salutem consequendam. *vel necessitate Expedientia sive Commoditatis*, quâ quid, licet non ad esse vel conservari simpliciter, tamen ad benè esse vel melius esse spectat; Huc etiam pertinet *necessitas Introductionis & Præcognitionis*, quomodo disciplinis, necessaria sunt præcognita.

VII. Porro necessarium distinguitur in *Complexum*, & *Incomplexum*. Illud in enuntiationibus spectatur; estq; vel Connexionis & cadit in proportionem tùm formaliter, ut in modalibus, tùm materialiter necessarias, ut in ijs fit, quæ tres illos necessitatis gradus admittunt, quarum quædam sunt *κατὰ πάντος*, quædam *κατ' αὐτὸ*, quædam *καθόλου*, & aliàs vocatur necessitas Consequentis; vel Consecutionis & Consequentia (quæ necessitas opponitur in Logicis Necessitati Consequentis, vid. Excell. Dn. M. Trentsch. in Colleg. Metaph. exercit. II. theor. I. thes. 20.) ut in syllogismis: ubi positus quibusdam, aliud quid, à positis, ex necessitate infertur, eò quod hæc sint. Et talis necessitas est tractationis Logicæ. Hoc in rebus simplicibus, cujus distinctiones partim proposuimus, partim in subsequentibus proponemus.

IIX. Deniq; aliquid *necessarium* dicitur *vel in se*, quod nihil aliud est, quam necessarium in essendo; *vel alteri*, sic hæc materia est studiosis Theologiæ necessaria ad res Theologicas intelligendas. Nos hoc loco intelligimus necessarium in essendo, quod est attributum Entis disjunctum, cujus formalem rationem ut & fundamentum ac divisiones exquiremus.

IX. Varia a. à varijs ratio formalis necessarij suppeditatur. Timpl. I. 2. Met. c. 6. eam ponit, partim in actu, partim in qualitate aliquâ, dum dicit; necessitas est actus necessarij, quatenus est necessarium: vel, addit, ut clarius loquar, est qualitas perquam Ens aliter se habere nequit. Sed malè: quis n. nisi hospes sit in universa Philosophia, negabit priorem definitionem esse obscuram, & idem per idem describi: Posteriores v. angustius assignare genus: Priorem quod concernit adhuc sub iudice lis est, an omne necessarium in formalitate suâ actus sit: Deinde committitur etiam *ταυτολογία*: quando per actum definitur. Nam cum quæro quid sit necessarium, quæro eti-

am quis sit actus necessarij, à quo denominatur & in esse proprio
 constituitur. In posteriore quivis videt latius per augustius de-
 finiri: non n.(1)omnis contingencia est qualitas, cum etiam
 substantiæ optimè attribui possit (2) confunditur qualitas cum
 modo, & conceptus transcendentalis cum prædicamentali. plu-
 ra vid.ap.Excell.Dn.D.Jacob.Martini in partit: Metaph.Sect.10.
 q.1.Zabarella l.1.de nat.Loc.c.2.illam constituit in defectu respe-
 ctus ad arbitrium nostrum, quando res non dependet à nostrâ
 voluntate; sed quia absq; illo defectu respectus ad arbitrium no-
 strum, Necessarium concipi potest & Contingencia quoq; da-
 tur, quæ tamen non dependet à nostrâ voluntate, sane in eo
 formalis ratio Necessarij non consistit. Scheibl.l.1.Met.c.18. eam
 collocat in Immutabilitate. Verum Immutabilitas licet alicui
 Enti conveniat; tamen exinde non sequitur, quod sit formalis
 ratio Entis necessarij ut sic, quia necessarium latius patet, quam
 immutabile: Quemadmodum nec contingens omne dicitur im-
 mutabile ut ex Philosophorum Scholis notum est. Nemo n. a-
 ctiones divinas transeuntes, multominus immanentes ut de-
 creta, mutabiles vocabit, quas tamen contingentes & liberas
 dicere non absurdum. Deniq; Scalig.exerc.307.sec.25. Necessi-
 tatem esse dicit, Immutabilem causæ & effectus connexio-
 nem, sed physica hæc necessitas in omnibus entibus non da-
 tur, ut ex thes.ii.patet.plura videantur in collegio Metaphys.
 Excell. Dn. M. Trentsch. Exerc.ii. de Necess. & Conting. the-
 or.3.th.7.

X. Quocirca enumeratas modo definitiones Necessarij
 approbare non possumus cum partim falsitate, partim obscuri-
 tate & perplexitate laborent. Manifestissimâ potius illam, quam
 Arist.l.4.Met.c.5.præscribit, retinemus, quæ talis est. *Ἀναγκαῖον
 τὸ μὴ ἐνδοχόμενον ἄλλως ἔχειν.* Necessarium est id quod, non po-
 test aliter se habere. vel cui non contingit aliter se habere. Hæc
 per se clara est, quam merito retinemus præsertim cum hic Præ-
 vios viros habeamus clarissimos, quos inter Excell.Dn. Licent.
 Scharff: quæ eam ut veram & Legitimam agnoscunt, tra-
 dunt, & probant;

XI. Hæc definitio, ut rectè percipiatur, duo nobis erunt

evo-

evolvenda (1) ratio materialis (2) formalis. *Materialis ratio* ut omnium Entis affectionum, ita etiam *Necessarij* est ipsa Entitas per se, vera, realis, actualis & positiva; In hac n. radicaliter fundatur. *Formalis* v. per quam ultimato concipitur & adæquatè ab omnibus alijs Entis attributis distingvitur est invariabilitas.

XII. Hujus a. invariabilitatis ratio, pro diversitate Entium etiam diversa est. Deus n. est Ens necessarium, non ob aliquam causam, quam prorsus respuit; sed ob absolutam & simplicissimam essentiæ Immaterialitatem & Independentiam. Sic etiam attributa ipsi necessario & essentialiter competentia. Ita intelligentiæ, Entia necessaria dicuntur non ob causam aliquam, cum libere sint à Deo præductæ, sed ob essentiæ immaterialitatē quæ incorruptibilitatis radix est, adeoq; facit, ut semel à Deo productæ, interire nequeant, sed necessario existant, Id quod etiã de animabus rationalibus asserendum est, nam & ipse semel productæ ob spiritualem naturam semper in esse suo permanent; quamvis, si Deus vellet, omnes corrumpere posset. Cætera v. necessaria in essendo Entia vocantur, quia habent causas necessarias.

XIII. Definitioni succedit Divisio, quæ multiplex est: Nos unam atq; alteram nobiliorem & utiliorem saltem feligemus primo necessarium rectè dividitur in Absolutum & Hypotheticum s. Conditionatum.

XIV. Absolutum vocatur, quod non potest non existere s. ob simplicissimã essentiæ immaterialitatem & independentiam ut solus Deus: s. ob essentiæ immaterialitatem tantum, ut Angeli & animæ rationales, s. etiam ob causam aliquam antegressam ut risibilitas in homine. Hypotheticum v. quod quidem habet causam mutabilem, non tam variat ob Hypothesin s. conditionem aliquam positam; quo sensu dicimus commotionem Petri esse necessariam, positâ hac Hypothesi quod hinc indè deambulet.

Necessarium porrò v. est Dependens v. Independens. Independens, quod à se simpliciter necessarium est in essendo & in attributis propriis. Qualis necessitas soli Deo competit; Hinc
rectè

rectè de se dixit: Ego sum, qui sum: ut omnem dependentiam, omnem mutationem à se removeat. Et hæc necessitas absolutissima est. Dependens, quod necessitatem in essendo ab alio trahit ut omnia creata.

XVI. Necessitas alia est Consequentia, alia Consequentis. *Necessitas Consequentia* coincidit cum necessitate hypothetica, quod consequens non est necessarium, nisi posito antecedente. Ita tamen ut tam antecedens, quam consequens contingens sit. Ut si homo lapsus est, necessariò Deus præscivit ab æterno, quia omniscius. Non a. propterea lapsus, quia prævidit sive vidit: Sed propterea prævidit Deus, quia lapsus est; sic necessaria est resuscitatio mortuorum, quia Deus decrevit. *Consequentis v. necessitas* consistit in cohæsiōe immutabili effectus & causæ, ubi tum antecedens, tum consequens necessarium est, ut; si homo est animal necessariò sentit.

XVII. Ultimo necessarium distingvi solet, juxta seriem causarum. Ut necessarium aliud sit Efficientis; aliud Finis; aliud Materiæ aliud Formæ;

XIIX. *Necessitas Efficientis* est necessitas physica & dependens, quæ naturaliter immutabilis & planè inevitabilis est, ita, ut à nullâ causâ naturali in agendo impediri possit. Et hæc necessitate Physica Sol immutabiliter movetur; Ignis immutabiliter urit; terra immutabiliter quiescit; & flumina non possunt non currere. Deus v. ista omnia salvâ re ipsâ, liberè potest immutare. Quod exempla testantur: sic jubente Deo Sol non movebatur. Joh. X. Ignis non ussit Dan. III. Flumen stetit Joh. III. Ferrum natavit 2. reg. VI.

XIX. *Necessitas Finis* est, quando aliquid ad finem acquirendum requiritur ut ex Thef. VI. patet.

XX. *Necessitas Formæ*, quæ naturam formæ immutabiliter insequitur. Estq; juxta Zabbar. l. 2. de prop. necess. c. 10. duplex: Constituens & consequens.

XXI. *Necessitas formæ Constituens* dicitur *Necessitas definitionis*: ut, quando partes definitionis necessariò in sunt definito, ut animal & Rationale homini.

XXII. *Necessitas formæ Consequens* est necessitas demonstra-

stra-

strationis, quâ propriæ passiones immutabiliter insunt essentiæ; ut Quantitas corpori; risibilitas homini. Excell. Dn. Lic Scharf. in Theor. Transc. Disp. XI. Th. 45 p. m. 686. inquit, utraq; est validissima, ejus absentia involvit contradictionem; cum neq; partes essentielles rei, neq; essentialia consequentia à re abesse possint, salvâ rei essentiâ, nisi fortè per potentiam Dei absolutam consequentia inhibeantur: In statu verò & cursu naturæ nunquam separantur.

XXIII. Tantum de Necessario; paucissimis etiam perpendemus oppositum ejus, nimirum *Contingens*, quod proportionaliter ad necessarium distinguitur in *Complexum* & *Incomplexum*.

XXIV. *Complexum* nihil aliud est, quàm oratio contingens, sive sit secundæ s. tertie mentis operationis. *Incomplexum* terminis & rebus simplicibus tribuitur.

XXV. Sumitur a. dupliciter; v. Generaliter v. Specialiter:

XXVI. Generaliter pro omni, quod non est impossibile, sive in suâ naturâ sit necessarium s. contingens. Unde hoc modo necessaria sepè contingentia dicuntur. Sic dicimus, Contingit terram stare & cælum moveri: quod tamen contingens non est, sed necessarium necessitate physicâ. Et in hac significatione, non distinguitur à necessario, sed illud includit, opponiturq; impossibili.

XXVII. Specialiter v. contingens vocatur, quod nequè impossibile est, neq; necessarium: sed antequam actu existit, produci, vel non produci potest, ut: Aristotelem disputare contingit.

XXVIII. Contingens *incomplexum* variè distingui solet. Nam aliud est *in essendo*, quod hoc loco intelligitur; aliud *in operando*, quod non operatur necessitate nature; ut agens liberum: aliud *in afficiendo*, quod non necessario subjecto inest; ut eruditio, respectu hominis: aliud *in predicando*, quod contingenter de subjecto predicatur; ut accidentia communia.

XXIX. Contingens est aliud *ratione subjecti*, quod non necessario, sed aliquando saltem subjecto convenit; ut, Eclipsis

B

resp.

resp. Solis, aut Lunę; aliud *ratione cause*, quod habet causam contingentem, ut omnia opera humana; quę ab hominis libertate pendent & omnia, quę causam per accidens agnoscunt.

XXX. Nos directè agimus de eo, quod dicitur. *contingens in essendo, estq; nihil aliud, quam Ens, quod se aliter habere potest*: ut sunt omnia quę fortunā & casu fiunt: sive, Contingentia est attributum Entis disjunctum, secundum quod ipsum formaliter est Contingens.

XXXI. Atq; hoc rursus variè dividi potest; nam *quædam contingentia dependent à causâ liberâ*, quę dicuntur contingentia contingentia intrinsecâ; ut actiones, tum divinæ, tum humanæ transeuntes. *Quædam ab aliis causis libertate destitutis; quædam etiam ob principium extrinsecum, præter intentionem causa principalis, contingenter fiunt; & hæc contingentia vocantur, Contingentia extrinsecâ; ut monstra.*

XXX. Porro contingens dividitur, in Habile & Indeterminatum. *Habile* vel est secundum naturam, quod plurimum, vel plerumq; contingit. Ut hominem nasci 5. digitis. vel præter naturam, quod raro contingit; ut hominem nasci 6. digitis. *Indeterminatum* a. quod contingens est ad utrumq; ut possit agere & non agere.

XXXIII. Ultimò tandem juxta Scaligerum. contingentia sunt, vel præsentia, vel absentia.

XXXIV. *Præsentia* dicuntur, quę jam existunt, & hæc assumunt ingenium necessariorum, sed hypotheticorum; De quibus etiam illud valet: omne quod est, dum est, necessarium est.

XXXV. *Absentia* sunt, vel præterita quę fuerunt; vel futura, quę nec sunt, nec fuerunt, sed aliquando esse possunt. Suntq; vel indefinite talia vel definite.

XXXVI. *Indefinite talia*; ut cras disputabitur: *definite v. talia*: ut, fiet extremum iudicium. Ita breviter Necessarij & Contingentis Theses absolvimus, in quibus vocis etymologiam, æquivocationem, & divisionem declaravimus. Progre-

grediemur & paucas quasdam quaestiones cum brevissimâ resolutione addemus.

Quaestiones.

I. An detur in rebus contingentia & necessitas?

Affirmatur utrumq; : stoicos magnoperè laborasse, ut contingentiam è rebus evertere possint, in propatulo est: Dum statuerunt omnia necessariò fieri, ex necessitate immutabili & eterno atq; in explicabili causarum nexu; quod ipsum vocarunt divinū ordinem, cujus ministra esset necessitas; ut testatur Hermes in dialog. de pietate & Philosoph: Hinc stoicus apud Lucianum cum furti accusaretur, culpam rejecit in Fatum: Fatale, inquit, fuit, ut furarer; cui Judex respondit: Ergo etiam fatale est, ut nunc pendeas. Horum error, sive furor potius tantus fuit, ut Ens absolutè liberrimum etiam huic necessitati immutabili subjicerent, illudq; affirmarent esse numen Parcarum carcere clausum. Epicurei contra in excessu delinquentes, omnia fortuitò fieri contendere. Nos neutri sententiæ adscribentes, mediâ incedimus viâ, statuentes: quoddam Ens esse necessarium, quoddam contingens. Illud patet ex Thef. 4. 5. 6. Posterius confirmat (1) ipsum hominis liberum arbitrium, quod reverà datur; sin minus, irrefragabiliter sequeretur, Deum esse causam peccati; immò frustrà & contrà omne jus punirentur malefici, quia illos necessitas cogeret, ut non possent non peccare, quod asserere blasphemum & summè impium est; 2. Si contingentia tolleretur, omnis quoq; in agendo libertas tolleretur, & hinc in actionum resolutione ultimâ, terminari non posset in voluntate, quod tamen absurdum dicere. Si n. quaeras, sunt verba Excell. Dn. Trentschij, l. c. Theor. 2. thes. 10. cur Deus non produxerit plures coelos: aut, quia non potuit, aut, quia non voluit. Si, quia non potuit, potentia ejus est finita, quod contra verbum Dei. Si hoc, habeo intentum. Et sic etiam de alijs actionibus similibus dicere licitum. Nec est (3) ut secta Calvinianorum assurgat, nobisq; rerum praescientiam divinam objiciat; ultrò n. largimur certò illa futura & necessaria esse, quæ Deus praevidet, necessitate consequentiæ, non a. consequentis.

2. An omne Ens sit vel necessarium, vel contingens?

B 2

Affir-

Afirmatur: Quia immediatè sibi invicem opponuntur, a-
deò totam Entis latitudinem exhauriunt cumq; eo divisim reci-
procantur; ita ut omne Ens verum, reale, actuale, sit v. neces-
sarium vel contingens. Integris n. distinguntur essentijs,
uti loquitur subtilitatum Magister, Exerc. 39. tanquam, non pos-
se non esse, & posse non esse; Ita ut nihil detur in rerum natura,
quod non alterutrum hujus divisionis membrum incurrat.
Sunt qui libertatem ipsam & ita actiones Dei liberas conantur
ut medium aliquod introducere, ex eâ ratione, quia iisdem
contingentiam, quæ mutabilitatem ex ipsorum hypothese im-
portat, tribuere erubescunt. Verum, quod (1) contingentia,
non semper mutabilitatem, uti neq; omnis necessitas immuta-
bilitatem præ se ferat, patescit ex Thef. 9. nec. (2) est, quod acti-
ones Dei à contingentia excludere velimus, si modo adhibea-
tur distinctio inter contingentiam intrinsecam & extrinsecam.
Huic Deus minimè alligandus, illa ipsi non deneganda. Hæc
n. non imperfectionem, sed summam perfectionem involvit. Et
hæc ipsa Contingentia, Deus nos creavit, creatos sustentat &
gubernat. Hæc Contingentia, per Filium nos redemit: Hæc
Contingentia, per Spiritum S. nos sanctificavit: De impossibili,
non est, ut aliquid dicamus, quamvis Timpl. & Goclenius scrupulum
nobis injicere videantur: in confesso n. est, quod illud
ipsum, quod repugnantiam habet ad esse, non possit esse me-
dium inter duo opposita: Atqui verum prius de impossibili, E.
& posterior.

3. *An omnis necessitas tollat contingentiam?*

Negatur: Nihil magis nonnulli crepant & tonant, quàm
necessarium nullo modo contingens dici posse. Verum res
erit in vado, si prius probè applicetur regula Boëthij, quæ talis
est: *Omne quod est, eo ipso, quando est, necesse est esse.* Antequam
mentem nostram exponamus; status Controversiæ, ut obser-
vetur, summa urget necessitas. Nam cum dicimus, quod necessi-
tas non tollat contingentiam, imprimis notandum venit, Hy-
pothesin illam, non sumi pro eâ, quâ omne Ens, excepto indepē-
dente, sit Ens ex hypothese, quia à Deo, ut tale est factum; sed
pro illâ, ad quam positam, necessariò aliud ponitur; quoposito,
En

Entia in se contingencia, ex Hypothesi alicujus antecedentis, necessaria fiunt, ideò quod illud positum: ut Thef. 14. ostendit. Sunt n. quædam, quæ in suâ naturâ Contingentia sunt & aliter esse potuissent antequam fierent; nihilominus tamen quando sunt, necessaria esse dicuntur. Ut quod jam scribo, id, prius quam fieret, necessarium non erat; nunc a. dum scribo, eo ipso, non possum non scribere; Impossibile n. est, me non scribere, dum scribo. Hæc ratione, valet regula Boëthij: Omne quod est, quando est, necesse est esse. Tò quando, non est omittendum, quippe notat actum existendi necessarium, non a. dependentiâ à causis necessariam. Sic, necessariò punitur genus humanum ob scelera, quæ irritant Dei justitiam. Necessariò scandala eveniunt, ob perversam hominum malitiam.

4. An Contingentia intrinseca omnem tollat necessitatem?

Nos, Semotis verborum ambagibus, *distinguimus inter necessitatem coactionis & honestatis.* Hanc contingentia intrinseca non tollit, sed ejus oppositam, quæ est coactionis. Contra naturam n. voluntatis & libertatis est, ut sit coacta. Non n. ex se & suâ naturâ determinata est, sed est facultas activa, quæ indifferenter se habet ad operandum & non operandum. Hinc *actiones* ab hæc exeuntes, quamvis *libere sint & voluntarie, ratione cause,* tamen *possunt dici necessaria ratione Officij, Promissi, Debiti, & Præcepti.* Sic bona opera sunt contingentia, sunt etiam necessaria. Contingentia dicuntur ratione causæ efficientis, uti docet Apostolus 2. Cor. 9. 7. necessaria vero ratione præcepti divini, promissionum, & fidei nostræ demonstrandæ. Vel, uti Excell. Dn. Præses in Colleg. Metaph. Exere. II. theor. 2. thes. 28. loquitur. Necessaria bona opera dicuntur, non ratione causæ, sed ratione existentia.

5. An Contingentium detur notitia?

Hanc quæstionem, quod attinet, tunc nonnulli distinguunt inter actum signatum & exercitum; & affirmant quod notitia Contingentium quidem detur in actu signato, cum in Metaphysicâ, quid, & quotuplex contingentia sit, in universali doceatur, non vero in actu exercito. Nos, ut res fiat clarior, in super distinguimus inter intellectum creatum & increatum; huma-

num & divinum. De creato quidem & humano intellectu superior distinctio vera est; non a. de increato & divino.

6. *An omnia, quae Deus praescit, necessario fiant?*

Neg: Non min9 Calviniani ac Stoici, suis dogmatibus ex humanis actionibus liberum arbitrium tollunt, dum incogitanter & malitiosè necessitatem absolutam & hypotheticam confundunt. Nam, sive necessitas fati ponatur in astris, sive in divinâ voluntate, semper importatur necessitas immutabilis. Inquit Excell. Dn. D. Jacob. Martini in part. Met. l. 1. sect. 10. Ne autem adversariis nostris injuriam inferre videamur, audiamus Piscatorem in praefat. disp. de Praedest. p. II. blasphemum ore, de lapsu primorum nostrorum parentum, sequentia evomentem; Cum ait: Condidit Deus parentes primos, ut permitteret eos tentari à Diabolo, & ad peccandum induci, cujus consilij vi, aliter fieri non poterat, quin peccarent. Et alibi; proinde tales condidit, ut labi possent, imò, hoc consilio condidit, ut re ipsâ laberentur. Et Calvinus instit. l. 3. c. 2. sect. 8. Cadit homo, Dei providentiâ sic ordinante. Quis Christianorum, ex horum malè feriatorum emblematis non intelligat, in agendo liberum denegari arbitrium & per consequens Deum ipsum constitui causam peccati? Cum tamen, Deus noster, non sit Deus volens iniquitatem & nullam praescientia divina rebus in se & ex suâ naturâ contingentibus imponat necessitatem. Patet hoc inde, quia praescientia Dei non est causa rerum quae fiunt. Non prima, neq; remota. Non prima, aliàs omnes res ab aeterno fuissent, quae hoc tempore fiunt, id quod ridiculum est. Non remota, non n. propterea aliquid evenit; quia Deus praescivit sed, quia futurum est, Deus praescit, antequam fit. Similiter se habent Astrologorû praedictiones & hominum visiones. Astrologus praevidens Eclipsin, non est autor & causa necessaria Eclipsios praevise & praedictae. Sic, dum video aliquem sedentem, is à me necessario videtur sedere, interim non necessario sedet, propter visum meum; sed quia dum sedet, non potest non sedere. Ita etiam Deus omnia intuetur & quidem eo modo, quo fiunt; at visionis hujus divinae effectus, non semper est res aliqua, quae fit, verum tò videre & scire ita fieri. Immo posito, sed

NON

non concesso, scientiam Dei esse causam rerum remotam, non tamen inde sequeretur necessitas. Hinc rectè Thomas ait: licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens. Non n. necessarium ut & contingens æstimatur ex actu existendi, neq; ex causâ remotâ, sed ex causâ primâ & immediatâ: Manet ergo, non omnia, quæ Deus præscit, fieri necessariò, sed ea, quæ ex se contingencia sunt, etiam contingenter fieri, quamvis infallabiliter à Deo præsciantur.

7. *An solus Deus sit Ens absolutè necessarium & summè liberum?*

Aff. (1) Quia est Ens non per participationem & gratiam, sed intrinsecè, à se & ex se, tum à parte ante, tum à parte post, necessarium. Semper n. fuit, semperq; erit. Ille primus & novissimus. (2) quia à nullo impeditur, sed necessitatem rebus creatis ex liberâ voluntate donat; Ideoq; ipse multò magis Ens liberum & necessarium nominari & esse debet. Reliqua v. omnia, excepto Deo, poterant non fuisse, & aliquando possunt non esse. Relinquitur ergò, unum esse Ens absolutè necessarium. Unum Ens esse summè liberum, nullius imperio obnoxium. Et qui libertatem Deo denegant, pluris æstimant creaturam libero arbitrio præditam, quam ipsum creatorem. Cum tamen nullus effectus excedat virtutem suæ causæ. Hic acquiescimus & disquisitioni huic nostræ de Necessario & Contingente Colophonem, cum Deo propitio, à quo exorsus sumus, imponimus.

Præstantissimo

D N. RESPONDENTI,
Disputationis Autori, Amico & Con-
victori suo perdilecto.

*Præclusum nihil est vigili insomniq; labori,
Undiq; perumpit, quicquid petit, impetrat omne,
Immò labor manus est, quâ suppeditare Jebova
Dona suis solet & facere ut sint certa petita.*

Tu quoq; constanter per compita dura laborum
Migrasti, Pachale, scopum quò tangere possis,
Publicitùs veluti nobis tua themata monstrans.
Ominor egregios olim comitabitur ausus
Gloria, & his dignum studiis illustre brabejum,

apponebat

PRÆSES.

WEr sich aus fleisses lust / mit andern umb
Parnassen/
Und Sein Gelehrtes Volk / wil redend hören
lassen;
Desselben Geist verbleibt / der großen Welt bekandt/
Sein Nahme lebt so lang / als nur in festen band
Der Erden Kund besteht. Weil Er Sich nuu läst hören
Mein Freund an diesen Orth / den sonsten Götter Ehren/
So schließ ich leicht daraus / das Er nach Ruhme
tracht /
Und ruffe laut: Glück zu! Weil Er diß hat bedacht.

Seinem Werthen Freund
schrieb dieses glückwünschend

Georg Rudolph /
von Strelen aus
Schlesien.

05 A 1054

3


ULB Halle
003 755 142



VON
20







70

In Nomine Jesu!
EXERCITATIO METAPHYSICA
DE
NECESSARIO
ET CONTINGENTE,
Quam,
Sub Praesidio
V I R I
Praeclarissimi atq; Excellentissimi
DN.
CHRISTIANI TRENTSCHII,
Logices & Metaphysices
Profess. Publ. Celeberrimi
Dn. Praeceptoris, Hospitis, Patroni, & Studiorum
suorum Promotoris, omni honoris genere
aetatem devenerandi,
Publica ventilatione
subjicit
Autor-Respondens
MATTHIAS PACHALUS,
Milicio-Silesius.
In Auditorio Majori
Ad diem 20. Augusti, horis antemeridianis.

Witteb. Typis JOH. BORCKARDI, Anno 1662.